

bernatores lubenter confitentur, se a benignis Dei manibus accipere auxilia & vires: religionem reddere ministros aptos, vt suis officiis bona conscientia fungantur, & inspirare inferioribus prompta obsequia. Gubernacula feliciter tractantur a viris idoneis, idoneitatem vero reddunt virtutes. Iustitia religioni arcte adiuncta est, vt nulla sit iustitia sine religione. Iudices non homini iudicant, sed Iehouae, qui est cum illis in causa iudicii, 2. Chron. XIX. v. 6. Abusus & contemptus legum, est causa communis miseriae. Pietas, qua iudices student Deo placere, aliis inspirat feruorem recte agendi. Sciunt enim, quid nobile & quid diuinum sit. Qui iustitia delectantur, adsuescunt bonis actionibus, ex iis colligunt experientiam, & per experientiam prudentiam; conscientia, quae veretur a recto discedere, excitat diligentes circumstantiarum obseruatores, qui ab omnibus magni aestimantur. Ignorantia itaque est ex iuniorum animis expellenda, & vera pietas iis inferenda, quod officium scholarum praeceptoribus, ecclesiarum pastoribus & Academiarum Doctores incumbit. Horum scientia & eruditio ad normam officiorum est mensuranda. At quanta esse debet scientia, quae infidelium tenebras dispellat? Luminis naturalis cultura, dogmatum & legum scripturae cognitio, antiquorum canonum lectio, constitutionum sinceriorum temporum euolutio, veterum sententiarum memoria, aliaque plurima necessaria sunt, ne officiis suis defint. Sed quid prodest multa scire, & charitate carere? Et quid emolumenti habet Ecclesia Christi ex sufficienti doctrina, sine diligentia ea exequendi, quae nostri sunt officii? Ad hanc obligat nos promissio

fio